

enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id esse laudabile. Illud vero minime consecrarium, sed in primis hebes, illorum gloriatione dignam esse beatam vitam, quod non possit sine honestate contingere, ut jure quisquam gloriatur. Dabit hoc Zenoni Polemo; etiam magister ejus, et tota illa gens et reliqui, qui virtutem omnibus rebus multo anteponentes, adjungunt ei tamen aliquid summo in bono finiendo. Si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantumque praestat ceteris rebus, ut dici vix possit: et beatus esse poterit virtute una praeditus, carens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, praeter virtutem, nihil in bonis esse ducendum: illi autem, quibus summum bonum sine virtute est, non dabunt fortasse, vitam beatam habere, in quo jure possit gloriari; etsi illi quidem etiam voluptates faciunt interdum gloriosas.

Vides igitur, te aut ea sumere, quae etiam concessa nihil juvent. —

Fat. 10. Si est motus sine causa, non omnis enunciatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera aut falsa erit. Causas enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falsum erit. Omnis autem enunciatio, aut vera aut falsa est. Motus ergo sine causa nullus est. Quod si ita est, omnia, quae fiunt, causis fiunt antegressis. Id si ita est, omnia fato fiunt. Efficitur igitur fato fieri, quaecumque fiant.

Aul. Gell. l. XVII. c. 2. Quod non perdidisti, habes: cornua non perdidisti: habes igitur cornua.

Quod ego sum, id tu non es: homo igitur tu non es.

Quum mentior, et mentiri me dico, mentior, an verum dico?

Aul. Gell. l. XXVIII. c. 13. Saturnalibus Athenis alea quadam festiva et honesta lusitabamus hujuscemodi. Ubi conveneramus complusculi ejusdem studii homines, ad lavandi tempus captiones, quae sophismata appellantur, mente agitabamus; easque quasi talos, aut tesserulas in medium vice